



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-322895-p0002-4

DFG

12

A V G V S T V S .
S I V E : I N H O N O R E M M A G N I
I L L I V S A V G V S T I , S A X O N I A E
D V C I S , P R I N C I P I S Q E E L E C T O .
ris, & Archimarschalli.

Pars prima Carminum

MICHAELI HASLOBIO BERL. M.
Publico in Academia Marchica Poësos Professore
scriptorum & editorum



F R A N C O F O R D I A E A D V I A D R V M ,
A N N O . M . D . L X X V I L

13.

277870

AD AMICOS
SVOS.

ME vatem lepidissimum vocatis
Ipsi melle recente dulciores,
Suaues, vnanimes mei sodales.
At vos parcite sic vocare, quando
Isto nomine nil laboro dignum.
Si quicq̄ tamen est leporis illis
Quæ nos carmina fingimus, labores
Duros inter, & anxias querelas,
AUGVSTI parit hoc Ducis venustas.

M. H. B.

277870

277870

POTENTISSIMO
FELICISSIMO QVE ET
LAUDATISSIMO PRINCIPI, AC DO-
MINO, D.N. AVGVSTO, DVCIS SAXONIÆ,
S.Romani Imperij Electori, & Archimarschallo,
Landtgrauio Thuringiæ, Marchioni Mis-
niæ, & Burggrauio Magdeburgensi,
Domino suo clementissimo

S. D.

Veris aduentu tibi soluet aurum
Soluet argentum generosa tellus :
Et modis multis tibi grata, iussis
Debita, fient.

Arte sed mira Ducis æmulatus
Alter Heroam faciem tabellis
Illitis auro dabit, & colorum
Iunget honorem.

At tuas, Princeps, tibi dono laudes
Candidè pietas numeris tenellis.
Nam quis, vt virtus tua promeretur
Digna pararet?

Sine miremur genus, aut vigorem
Mentis, exurgis, velut alta Laurus,
Laurus hortorum decus, & leuamen
Dulce sub æstu.

A 2. Te

Te D E V S magnum celebremq; finxit
Partibus cunctis. Tibi non abessent
Corporis vires: neq; larga Sortis

Munera deſunt.

Quis prior factis, vbi cernit vrbes
Teutonas Arctos? tibi multa debent
Iuxta de cælo data, quæ ſub astris
Corda reponent.

Per tuas vrbes ſua iura caris
Ciuibus dictat Themis: & rependit
Cincta Pax alis niueis quietæ
Ocia vitæ.

Plenius verò quis amare Muſas
Poſſit, aut ſaltem velit? vnuſ illas
Accipis Princeps, & in arce largis
Sumptibus ornas.

Dulcis accedit Pietas, & illi
Gratiæ plaudunt comites: ut optant
Laurea Vates Hederisq; culti
Vrbe morari?

Sic tuos auges meritis, & almi
Nomen AVGVSTI retines, quod ipsū
Nomen occafum petet, ac feretur

Laude ſub ortum.

Hinc tuis reb. fauet Imperator,
Et fauent Reges, Proceresq; regni:
Noster

Noster ELECTOR fauet, ac perennē
Seruat amorem.

Nec bonus quisq; minus æquus esset
Nomini vestro: faciet beatum
Esse præsenti DEV^S hoc sub æuo,
Esse sub astris.

Multa commendant tua facta Princeps:
Hoc at est vnum, quia singulari
Prouerbis cura meritos, quod istos
Dono labores.

Flos in hoc viuas Procerum libello:
Teq; depictum meliore mentis
Parte DVX cernas. Tua laus auitis
Crescere factis.

Si probabuntur tenuis Camænæ
DVX tibi fructus, properabit olim
Quas canat plectro grauiore, laudes
Senior ætas.

Viuat AVGVSTVS, sobolemq; cernat
Laudis hæredem. Quoties alentur
Plectra Musarum, toties manebunt
Facta potentum.

addictissimus.

Michaël Haslobius. M.

A 3 E L O.

ELOGIVM
ILLVSTRISSIMI SAXONIAE
DVCIS, AVGVSTI, PRINCIPIS
Electoris, & Archimarschalli
S. Rom. Imp.

AVGUSTE Princeps Ensifer: o tuis
Quas totus orbis suspicit, & colit,
Virtutibus factisq; maior
Quo referam memoranda versu:
Hic mole vincar. Quis radios queat
Perferre Solis conspicientium?
Multos ministrat terra flores:
Quis vegetos numerabit omnes?
Sis orbis hæres de meritis tuis
Parto triumpho: Gloria firmior
Virtutis æternare laudem
Iusticia, meritisq; lætis.
Te nuda crescit Principe veritas,
Te clara surgit Präside puritas
Cœlestis inuictiq; verbi,
Lætifico melioris auro.
Caligo templis, recta sequentibus,
Emota cessit, fœtaq; vanitas.
Custode Myorum resurgit
Relligio, pietasq; floret.
Quod

Quod lēta Musis nobilioribus
Crescit iuuentus, Veris & in modum
Spe surgit ostendente messem
Tu facis, & facient Nepotes.
Augentur artes, & capiunt decus,
Quæ subleuabunt res ope publicas.
Quid marte, quid virtute posses
Leucoreæ didicere Nymphæ.
Hoc confitetur flumen Elistridum,
Verisq; præstans Misnia laudibus.
Viresq; creuerunt in ortu
Solis ab Hesperij recessu.
Quis non amaret non coleret tuum
Quod nemo possit vincere, quam vigor
Excelsus illustrisq; mentis
Fama tuæ, venerande, nomen.
Templis, dicatis laudibus ætheris,
Non thure claris, floribus aut nouis,
Votis sed ornandis ad aram
Restituit tua lumen ætas.
Morumq; durat, candida suauitas
Vestrīs in oris, fixaq; permanet
Dum pectus emollitur vſu,
Dum veteres reuocantur artes.
Doctiq; sicut floribus hortuli,
Ludi virescunt artibus optimis.

Rerum

Rerumq; fulget publicarum
Lux, varijs cumulata donis.
Te restitutum vindice ius fuit:
Veroq; laudes exhibitæ DEO.
Peccata proiecere vultum
In nebulas, tenebrasq; densas.
Miscetur astris, iusta sequens, Themis:
Liuorq; ducens perniciem, perit.
Dignis ministrat cuncta candor,
Et superest amor æquitatis.
Sunt nulla turpi iura licentiae,
Cui vanus error cui leuitas comes
Assistit, & culpæ premuntur,
Sed remanent sua dona laudi.
Ornata lætas Pax olea comas
Ditata fructu, rura perambulat.
Ciuesq; gaudent faustitatem
Ad patrias redijisse terras.
Praui metuntur, viuida quo salus
Orbem reuisens, oppida prosperet.
Non hostis incursus timentur.
Blanda quies loca cuncta firmat.
Ut quandò seuis fluctibus æstuat
Et damna Tybris fert rapidus solo
Vndam fatigantem repellit
Accola, non metuens ruinae:
Sic

Sic frangis alta mente ferociam,
Et ne venenum ciuibus affluat
Cauisse sueuisti, querelis
Tristibus à patria remotis.
Nunc ergò cætus liber ab hostium
Vi, fata tutis dicit in ædibus:
Et nomen AVGUSTI merentis
Depositis veneratur armis.
Et voce leta munera Principis
Laudare pergunt, immemores mali
Quodcunq; saeuus molliatur
Insidijs metuendus, hostis.
Huc leta tendunt omnia post preces
Et vota, dignum carminibus, Duce
Cantare, seu Sol lustret æquor,
Seu roseo vehat ore lucem.
Cultura tantum Iusticiæ potest,
Et, nata miti corde, benignitas.
A subditis optas amari,
Qui faciles in amore pergunt.
Nomenq; clarum nobilitas colit
Plenis honorum, muneribus tuas
AVGVSTE virtutes, G' acris
Ingenij venerata dotes.
Non illa iussis deuiat à tuis,
Sed condit annos æmula gloriæ
multissimi

B Virtute

Virtute multa comparata
Laude tuum cumulante nomen.
Gaudetq; pacem crescere, cum velit
Fuso tueri sanguine Principem,
Dulcemq; neglexisse vitam
Diuitijs animosa iustis.
Quas destinatas v̄sibus, & tuæ
Seruat saluti, maxime Principum,
Secura quantum durus hostis
Exitij meditetur orbi.
Donec quiescit sub patrio sinu,
Et pace felix dulcibus ocijs
Veraq; doctrina remotis
Perfruitur sine Marte curis.
Hæc vera rerum sunt bona. Quis tuos
Non incitatus diuite spiritu
Censusq; fortunasq; cantet?
Quis nitidas celebrabit vrbes?
Multis abundant oppida laudibus
Quocunq; vertam lumina pectoris.
Quis non honestatem togatam
Prædicet, ac placidam quietem?
Passim videtur cultus amabilis:
Multisq; formis mundities placet,
Victusq; visu delicatus,
Quem Pietas locat alma mensis,
Illam

Illam pudico lumine gratiæ
Illam sequuntur sollicitæ preces.
Applaudit his blandæ venustas
Læticiae, sine nube frontis.
Exornat vrbes mirificus nitor
Claræ honestis legibus, & DEI
Præcepta custodire lætas,
Quæ referant animis salutem.
Sunt munda cunctis omnia partibus:
At pulchritudo mentis honestior.
Merceſq; terras elegantes
Mole sua grauiore ditant.
Quantus videndus splendor in ædibus,
Quas docta pinxit dextra coloribus?
Rerum fruendarum beatus
Est numerus, cumulusq; densus.
Quis Solis instar præsidet vrbibus,
Nutritq; miti pectore subditos?
AVGVStus indeuictus Heros,
Dux sapiens, & amator æqui.
Iustusq; Princeps, & moderans malum
Quicquid seuerus præcipiat rigor.
Punire tardus tarditatem
Supplicij grauitate pensat,
Clarumq; bellis & studijs togæ
Æris fodinæ questibus eximunt,

B2 For-

Fortemq; felicemq; gestis
Rebus, & inuidiam prementem.
Illum probatum scimus ab Austricæ
Rerum potitæ Cæsaribus, nihil
Curare, quæm virtute nomen
Crescere, cui faueant iniqui.
Et digna Musis ocia diuidit,
Quæ firmiores sunt Adamantinis
Quæm nexa vinclis, & libellis
Perpetuant benefacta vitæ.
Ac sunt ineptæ frena superbiæ,
Dum cuncta prudens mens properat Ducis.
Ergo reuicturum sepulchro
Imperio decus arrogauit.
Tam grande nescit sede capi decus.
AVGVSTE Musas prouehe sumptib.
Miranda laus acquiret annos,
Laus fuerit tua morte maior.
Res pulchra muris cingere fortibus
Urbes & arces: pulchrior his tuum
Spirare nomen, quod vigorem
Iusticiæ sine clade seruat.
Si triste cedat pectoribus gelu,
Si ver serenum corda remulceat,
Laudationum pleniorum
Quanta seges tibi deligetur?
Ver

Ver dulce flores egerit: at nouas
Autumnus vuas proferet. ut colo
Nomen colendum Marchionum
Sic cithara celebrabo dignos.
Natamq; credit se lyra pluribus.
AVGVSTE pergas te meritis sequi:
Maiora si dici valebunt
Illa tuis referentur actis.
Te terra dicit sospite ferias
AVGVSTE, curis plena fidelibus,
Laudata multum flore gentis
Misniacæ, Dominæq; Dresdæ.
Nec terra tantum proxima te colet:
Sed digna Musis quotquot amauerint,
Vitæ precabuntur salutem
Ut steriles superentur anni.
AVGVSTE laudes cantat Olor tuas
Si fama crescit cognita vatibus,
Nil est quod optes: sed merenti
Terpsichore statuet triumphum.

B 3

PRO



PRO EIVSDEM OPT.
PRINCIPIS SALVTE
ANNO M.D. LXXVII:



*Vid fundit iubar aureum
Brumæ tempore? quid fauet
Phœbus lætior? an sui
Aluo virginis editi,
Regis numen adorat?*

*Sic est. Ergo DEVM lyræ
Dux AVGUSTE, canant, famem
Qui nostro repulit solo,
Et pestes. DEV'S ò velit
Migrent bella sub vndas.*

*In cunis viden vt iacet
Iuter bruta DEO satus:
Qualis qui referans diem
Inter sidera pulchrior
Terras luce coruscat?*

*Hoc nascente redit Salus,
Et quæ Gloria vestibus
Incedit niueis, colit
Iuncta pace superstites:
Astat læta Voluntas.*

*Nunc fordes Puer eluit
Casti præmia sanguinis*

Dum

Dum Patri tulit: & iuuat
Quæ nos poscimus à D E O
Nostri sponte misertus.

Ist tristes hominum leuat
Ærumnas, & amabilem
Præstat languidulis opem
Pæsens cordibus. Hoc amor
Nati virgine fecit.

Hæc, Princeps, cano. Gentibus
Nobis exhibuit sui
Regni munera. Manibus
Ereptos stygijs beat
Rursus lumine vita.

Vivas floscule Saxonum,
Et suavis tibi sint precor
Lecti pignora, dum D E V S
Exemptum patriæ tuæ
Cæli vertice fistat.

O dulcissime maximi
Fili Patris ades Duci
AVGVSTO, precor, optimo,
Almi numine spiritus,
Flatu corda mouentis.

Vt custodiat acriter
Forti pectore gloriam
Sancti

Sancti nominis, & tuum
Latè promoueat decus
Geminis maius & auro.
Viuat sospes, & occidat
Quod rumoribus anxij
Aures lædit, vt ad tuas
Aras, quæ dare nouimus
Grati dona feramus.

AD EVNDEM.

FRANCOFOR DIA
MARCHIONVM CVSTRI-
num abiturum.

Hinc citius properas visurus flumina Vartæ,
Nunc ubi Iusticiam Marchio fortis alit.
Ocia cum possis causari iure, Camænæ
Non minus AVGUSTO pauca legenda ferunt.
Nam tuus aduentus, Musis gratissimus, affert
Huc Viadro plausum, læticiamq; parit.
Et tibi gratatur virtus, & sentit amorem,
Quem satis ullius dicere Musa nequit.
Accipe dum Phœbus meditetur plura merenti.
De decori nostrum non tibi carmen erit.

Mox

Mox & ALEXANDR I virtus præclara legetur,
Qui tibi, qui doctis, versiculisq; iacet.
Ut ROSA, quæ dulces nuper fundebat odores,
Læsa viatoris protinus vngue perit.
Non retegam vulnus tectum: sed paruula soluam
Nunc properaturo, scripta, legenda Duci.
Paruula, sed dicas: Fateor. Quæ munera donat
Mens bona, sunt certè munera magna satis.

GRATVLATVR
EIDEM VRBEM FRAN^z
COFORDIAM CIS VIADRVM
INGRESSO.

Est Dea, quā peperit Psyche, Ioue Patre, sub astris
Pallade non ipsa Mnemosyneq; minor.
Hæc hominum rectè vitam, moresq; gubernat,
Hospes & humanis mentibus esse cupit.
Prospicit hæc Fatum, seruans consortia mundi,
Nec pauet imbelli, conficiturūe metu.
Regna Voluptatis spernit, redditq; beatum
Si quis honorati pars velit esse chori.
Præmia sunt, nullo quæ splendet Gloria fuso,
Laudibus & dignis accumulatus honor.
Hac Duce vel cœlum potuit cepisse videri
Editus Alcmena qui genitrice fuit.

C Hac

Hac Duce Lædæi fratres ceu sidera lucent,
Vna quibus Pietas fulsit, & vnus amor.
Quanta sed est, meruit *VIRTVTIS* amabile nomen,
Certaqz Germano regna sub orbe tenet.
Hæc etiam colitur, tibi dilectissima, virtus
Omeriti, Princeps, clarus honore tui:
Illa suis puerum placide nutriuit in vlnis,
Cum tibi laudatum significaret iter.
Confiteor. postquod subitum mœnia vidit,
Principis *AUGUSTI* nomine lœta fuit.
Cum retulit sese rapientem pectora terris
Illa sub æthereo ponere digna polo.
Ut similes reddat Diuis Heroibus aptos,
Hac ratio vires dum monitrice capit.
Mitis & ad laudes humanum prouocat agmen,
Optima qua possunt prospiciente geri.
Nec fera Barbaries comes huic, sed Gratia triplex,
Sed lepor in facto, præteritisqz decus.
Ut comitem mortis præstet post munera vitæ,
Post sua, si iaceat, fata resurgat humo.
Non secus ac Vitis siquando frigore languet
Nascitur emergens altera sæpe solo.
Ac(fatear) dixit, Nusque sic viuere mallem
Inclyta quam laudis sunt ubi regna meæ.
Dux ego sum vitæ (siquis me nosse laboret.)
Mens hominum constans est mibi certa quies,
Difficio.

Difficilis sane noster conspectus, at ipsum
Et labor & curæ consuluisse sinent.
Sic ubi sustineas inuicta mente labores
Cinget odoratas Laurus honesta comas.
Nata DEI formosa vocor, donumq; Deorum:
Terra nihil maius, nil freta longa fouent.
Dispereant, valeantq; mali, qui dicere pergunt
Me fore discriminem perniciemq; meis.
Hec ubi finierat, referebat origine clari
Quod tua per magnos gloria surgat auos.
Quod patria clarum, summis Heroibus ortum,
Diūs similem meritis ad sua castra vocet.
Vt Themis imperium vestris sibi ponat in oris,
Et niteat vultu gratia blanda tuo.
Addit opes, populosq; tuis virtutibus addit,
Quantaq; Germana fama colatur humo,
Dum capis Imperij celsos SEPT EMVIR honores,
Quos sequitur niueis Gloria vecta rotis.
Sit comes ut vestri facilis concordia regni,
Dum Pietas tollit Relligioq; caput.
Sic igitur præfata tibi, quem debet, honorem
Summe veni, Princeps optime, dicit, ades.
Summe veni Princeps: ades illuſtrissime Princeps,
Cui laudum testes Albis, Elister, erunt.
Cycniger & Sueuus faciet, si Musa placebit,
Quæ poterit, meritis carmina digna tuis.

C 2 Vrbis

*Vrbibus est decori populus: Dux ciuibus addit
Quod teneris hortis Laurus odora, decus.
Orbe nitens aurum quondam sic gemma venustat:
Talis es aduentu Dux animose tuo.
Aspicis vrbs nitidas quantū tibi porrigit vlnas?
Nobilitas laudi sed generosa fauet.
Lenius allueret gelidas pater Odera ripas
Odera Musarum Iusticiae, decus:
Acris hyems, niuibus squallens, & frigore duro,
Et glacie rupta, lenius ire vetat.
Ut tamen Heroo lætatur pectori iusti
Principis, aduentus motus honore tui?
Quod vocem nisi tristis hyems includeret, illo
Non aliquis posset garrulus esse magis.
Sis placidus: tua facta canet, tua nomina dicet
Quam citò purpurei tempora veris erunt.
Ecce tamen capiti necunt noua serta Camænæ,
Carmine quæ dignos morte perire vetant.
Quisquis amat facilis Musas, is amabitur illis:
Non virtutis erit fama sepulta tuæ.
Plura locuturam rubicunda Modestia iussit
Condere pectoribus carmina fixa suis.
Sed tamen imposuit Phœbo Musisq; laborem
Ut tua concinerent nomina mille modis:
Sæpius & factum fuit hoc, AVGUSTE, nec vñq;
Carminis autorem pœnituisse liquet.*

Post

Post etiam venies rebus non asper egenis.

Quam tribuent Musæ, fama perennis erit.

Viae (quod Aonides optant) tua gloria viuit,

Et veluti clarum fidus in orbe nitet.

Donec erunt similes, Princeps, tibi, nulla queretur

Musa, nec in curis triuerit ylla dies.

Te sobolemq; tuam dulci cum coniuge seruet,

Ac tegat imperium, Ruticolasq; DEVS.

Adijciat canos numen tibi, viuere digno,

Et cape quæ merito sunt recitata tuo.

Sic valeas AVGUSTE diu: sic esto beatus:

Sic patriæ crescas & referare Pater.

AD IOCOS.

Onditi sale nigriore lusus,
Turpes cedite vos ioci, nocentes
Salsis vocibus æstimationi.

Artes cœligenas, Theminiq; sanctam,

Et blandas Charites Deas fouentis

Ceu caros oculos, manumq; caram,

Et cor, respiciens ad astra Cœli,

Seu quid carius his queat videri:

AVGVSTI meus esse vult libellus.

C 3 MV

MVSAM ALLOQVITVR MISNIAM VISVRAM.

R Ieri quò properas? AVGUSTI lumina cernam.
Claudane? Sic iuit Mulciber ante Iouem.
Ægra quid es? Multis ego deseror. Vnde vigorem
Sumpseris? AVGUSTI me Rosa tollet humo.
Quos age curat odor? Dignos. An digna videri
Hoc poteris? Virtus prævia monstrat iter.
Non fugis audacis nomen? Dux optimus audit
Carmina, quæ meriti sint monumenta sui.
I precor. i felix: aliò vix rectius ibis.
Huius eris certè sospes odore Rosæ.

DE ROSA AVGUSTI SAXONIAE DVCIS, AMPLISSI- MI S. ROM. IMPERI PRINCIPIS Electoris.

R Væ Rosa? Non veneris. Cui, dic precor, ergo gera-
AVGUSTO. Vegetā quis rogo seruat? honor.
Quos souet illustri succo? virtutis amantes,
Ecquid in hanc quondam frigora iuris habent?
Cum pereant aliæ primi sub tempora veris
Hæc Rosa diuino tuta fauore viret.

CVM

CVM TELLVS NIVE ES,
SET OBRVTA IN ADVENTVM
PRINCIPIS AVGVSTI AD
Viadrum.



Vid niue candidula, commixta frigore duro
Lætior hiberno tempore ridet humus,
Plenius & solito radios Sol spargit in agros?
Sic ego: sic Erato dicere visa fuit.
Dum venit ad Viadrum candore nitentior omni
Debuit AVGVSTO candidus esse dies.

AD AVGVSTVM
PRINCIPEM ELECTOREM
SAXONIAE.



Vod varijs auges amplis virtutibus vrbes,
Te Duce quod floret Religionis amor,
Quodq[ue] faues Musis, & alumnis munera confers
Principis AVGVSTI nomen vt omē habes.

DE EODEM.



Vo Duce iam latè pietas augetur & artes
Pieris, AVGVSTVS iure vocatur, ait.

AD E-

AD EVNDEM.



Nsifer imperium florens tibi liquerat Heros
MAVRITIVS, belli clarus honore foris.
Dignus alebatur generosi sumptibus auri,
Grataq; Laurigeræ nomina pacis erant.
Larga salutabat numerosas copia gentes,
Et comes astabat, plena salute, quies.
Imperium florens auxisti dotibus alti
Pectoris, & meritis officijs q; tuis.
Viribus acquirit firmans pax mænia vires,
Adijcit ingenij & tuus ardor opes.
Veraq; Relligio crescit, Pietasq; reuifit
Oppida iustificam concomitata Themin.
Hæc tua laus, Princeps AVGUSTE, volabit in annos,
Semper & in lingua posteritatis erit,
Aucta quod ingenij opibusq; quiete refertis
Oppida sub vera Relligione foues.
Maior honos claris Maiores vincere factis :
Et decus est generis laudibus esse parem.

DE AQVILA EIVSDEM.



Ic Aquilam, sicut Laurum, non fulmina lœdunt.
Protegit Heroum pectora celsa DEVS.

AD AV.

AD AVGVSTVM,
PRINCIPEM ELECTOREM
SAXONIÆ.

Multa quod è vestro crescunt stipendia regno,
Qualia Leucoreo digna fuere solo,
Ipse fidem dictis Philyraeus ponet Elister,
Et tua quos bonitas, & tua cura fouet.
Ergò tibi, Princeps, laudes è carmine surgunt,
Act tua non unus nomina cantat Olor.
Sic quoties regnat formosi gratia veris
Dulcibus exultat dædala terra bonis.
Est aliquid sumptu magnas ad crescere moles:
Regia res, dignis præmia ferre, fuit.

DE EODEM.



Vis dedit Imperiū? Iunio. Quis pectora? Pallas,
Quæ Dea? marte foris clara, quiete domi.
Quis nitet ex oculis? Venus. O ter plusq[ue] beatum
Cuius amant vitam Iuno, Minerua, Venus.

AD EVNDEM.

Vox tua coetilibus surgunt Dux oppida muris,
Splendor & ampliarum consociatur opum,
D Crescit

Crescit & obsequium, mortem quod spernat, & ausit
Pro Duce, si iubeat causa, subire necem :
Te celebrant, AVGUSTE, tui dignissime ciues,
Nec patriæ Patrem te memorare timent.
Qualis erat grauibus disponens præmia Musis
Pectoris AVGUSTVS clarus in orbe bonis.
At quod honorificis virtutes sumptibus auges,
Vnius ingenij non erit illud opus.
Filia Iusticiæ, Pietas quod deniq; crescit,
Te Duce quod probitas religioq; viget,
Et colis eloquio claros, Musasq; secutos
Vix reor à Musis tot bona posse cani.

AD EVNDEM.

AVREA contulerat Cypris tibi frontis honorem,
A Et sceptris Iuno fauit ab axe suis.
Palladis ad socias, AVGUSTE, prioribus artes :
Bis viciisse leuis res tibi visa fuit.

HELICONEM ESSE VBIMVS AVEANTUR Ad eundem.

AD tua configiunt Virtutes limina, Princeps,
Et comes it socia Relligione Themis.
Nec

Nec viridi cupiunt Helicone senescere Musæ,
Sed tua sub digno Præside regna colunt.
Sic, ubi se sperat victurum suauiter, orbis
Ignoti fines sæpe viator amat.

DE AVGVSTO SEPTEMVIRO S. IMPERII ROM.

(uentem

PAllas ut *AVGSTM* conspexerat arma mo-
Pacificum grata velle quiete frui,
Ecce meus (dicit) Princeps è marte salutem
Gignit, & imperio, corpore, mente valet.

AD EVNDEM.

Epida diuinitijs auges, at pectora doctis
Artibus, & vera nobilitate genus.
Ergò quis Augustus magis est, *AVGVSTE*, vocandus?
Augeat ingenium diuinitiasq; *DEVS*.
Sic precor: & fiet. Sed enim non indiga rerum
Gloria, quæ rectum concomitatur, erit.

DE EODEM VENANTE.

Dum capit *AVGVStus* iaculum quo bruta fatiget
Me grauius figit bruta, Diana refert.
D 2 AD

AD EVNDEM OMNIBVS
VIRTUTIBVS ORNATISSI-
M V M P R I N C I P E M.

Siquis amet pacem, doctas si nutriat artes,
Iussaq̄ siderea prodita sede colat:
Si quis amet recti studium, qui curet honestum,
Vndiq̄ florentes qui velit esse suos:
Siquis amet populis, AVGUSTE, placere vicissim,
Dispeream Princeps tunisi talis eris.

QVOD OFFICIVM SIT
OPT. PRINC. AD EVNDEM.

Binter opes AVGUSTE, bonas quod prouebis artes
Quod Ducis officium debeat esse, mones.

DE VRBE LECTISSI-
MA DRESDA.

Dvid DRESDA tibi sit sub vrbe visum
O carissima Musa, dic roganti.
Sic rerum melior status tuarum
Afflictissimus ante, prædicetur.
Hæc paucis ego. Sic Thalia, vidi
Formosissima multa, dicit, illic.

Auro

Auro picta venusta tecta vidi
Quæ constructa salubriore campo
Fælix pingit amænitas: sed aër
Quæ purissimus ambit hinc & illinc.
Sub tectis erat elegantiarum
Gens præstans studijs, & ore dulci,
Quo blandas Charites sedere credas.
Quid dicam tibi prouidum Senatum,
Qui Musas amat & profecta summi
Cæli vertice iussa? Non tacebo
Vrbis qui Dominum yeretur, Albim.
Quid pisces loquar optimi saporis?
Quid vinum recreans iacentis auram
Mœroremq; Quid efferam volucres
Dignas laudibus, & feras? Quid addam:
Prouentus, redditusq; largiores?
Illiæ aucta suis domus triumphis
Quo vertas oculos tuos, & illic
Nunq; fædera negligenda viuunt.
Illa pulchrius ecquid æstimemus?
Dixi multa venusta, multa dixi,
Quæ vix sint alijs videnda terris.
At quicquid numeraueris venustum
Mirandumq; sub yrbe, quicquid amplum,
Aut illustre, Ducis facit venustas

D 3 AV.

AVGVSTI, bonitasque singularis.
Vrbs virtutibus æmulatur illum.

**A D A V G V S T V M I N C L Y-
T V M P R I N C I P E M .**

Pulchra tibi regio, populus tibi pulcher, & vrbes,
Quas Pietas ornat Iusticiaeque vigor.
Pulcher & est victus, pulchrè quoque cultus honestus,
Regnat & in terris pulchra moneta tuis.
Pulchra satis dixi, menti gratissima: verum
Quid Domino scribam pulchrius esse? nihil.

D E E O D E M ,

Vamlibet ostendat varia se parte venustas,
Vincitur AVGVSTI moribus illa Ducis.

A L I V D

Quicquid honestatis formosas incolit vrbes
Illud ab AVGVSTI moribus omne venit.

R V T A S A X O N I C A .
Spicis ut dulcem foliorum pandat honorem
Illa virens crispis florida RVTÆ comis?
R V T A

*RVT A fugat folijs angues, pellit q̄ venenum:
Luminibus gratam RVT A ministrat opem.
RVT A iuuat cerebrum languens, & frangit amorem.
RVT A venit multis vna medela malis.
RVT A Ducum clypeos ornat, quos Saxona tellus
Laude togæ claros militiaq̄ tulit.
RVT A ter ò felix cuius persentit odorem
Albis, & Albiacis adcola iunctus aquis.
RVT A tuos carpit concors Ecclesia fructus,
Resq̄ capit fructus publica, RVT A, tuos.
RVT A vire, folijsq̄ tuis vigor adsit, & Albis
Applicet hinc capiti viuida ferta suo.
RVT A niues supera Scythicas, & frigora Brumæ,
RVT A nec hostili conficiare manu.
Sorte sua felix quicunq; quiescit ad umbram
Et reficit curas munere, RVT A, tuo.*

AD VRBEM VITEBERGAM
DIVO MART. LVTHE-
RO CL.



*Quæ parua quidem mænibus vrbis tuis
Eulges conspicuæ munere gloriæ,
Cultis digna libellis,
Quo te carmine prosequar?*

Non

Non donabo merum: non violas dabo.
Sacrabo meritis innocuam chelyn.
Addens succinathuri
Supplex adijciam preces.

Te p̄aeclara soli pingit amoenitas
Insuetis variè frugibus, & Rosis.
Aer rura salubris
Dulci mole perambulat.

Cælo proſiluit candida veritas,
Et ſe compoſuit Leucoreo ſolo:
In terrasq; remotas
Sparsit, quem potuit, diem.

Debes MAVRITII plurima gratiæ
Quod regnas nitidi fructibus ocyj,
Facundisq; Camœnis,
Et p̄ædulcibus artibus.

En mundi varijs finibus exciti
Te clari iuuenes cum pueris coalent:
Mirabuntur honorem
Fame dulci loqui ſenes.

AUGVSTI bonitas porrogat ocium,
Et fratris ſuperat munificentiam,
Seruans gentis auitum
Miris officijs decus.

LVTHERI tumulum quæ capis, & colis,
Nec laudes alijs vrbibus inuides,

Salue

Salve clara sagacis

Vrbs plenissima nominis.

Mater nobilium fertilis artium,

Clari sint alijs vsibus exteri:

Te facundia diues

Post nullum statuet solum.

AD TUMVLVM ALEXAN.

DRI, AVGVSTI F.

NE sit, ALEXANDer, Musis qui construat ædes
Exulibus, citius spe fugiente iaces.

Flebilis ut vidit morientis funera Virtus

Sic igitur tumulo viscera ponis? ait.

Nec patriæ quicq; iuuerunt stemmata gentis?

Nil amor in Musas? nil pietatis opus?

Spes erat, ut pietas, & honestas amplior esset:

Quanta sed AVGVSTI cura Parentis obis?

Occidis hei Patri. Pietas te luget ademptum.

Vt patriæ Musis ingenijsq; cadis?

Sic Rosa sic violæ languescunt vere coorto.

Quantus ALEXANDER, mente futurus eras?

Sit tibi pax. Virtus plorat: sed flore sepulchrum

Suspirans, posito carmine, Musa colit.

E AV.

AVGVSTI IVNIORIS, SAX. DVCIS EPITAPHIVM.



Vi poteras augere tuis virtutibus urbes
Ut citò, ceu medio lilia vere, iaces.
Patretuo lugente, trahunt suspiria ciues,
Et proprij partem cordis abisse putant.
At qui non nitidis auges virtutibus orbem,
Elysijs auges pectora iuncta choris.

AD AVGVSTVM PRINC. ELECTOREM.



Vid loquar AVGVstum tristi non clade moueris?
Fortior est cunctis mens generosa malis.

LYPSIAM VRBEM PVL. CHERRIMAM COMPELLAT.

W Rbs te venustas ornat amabilis,
Quocunq; vertens lumina, seu domos
Admirer, aut lenes, Elister
Quas fluuiio iaculatur, vndas.
Non blanda cœli gratia deficit,
Non aura mollis: Sol vegetat solum,

Floresq;

Floresq; puros fert, & herbas
Nutrit, aquis saturata, tellus.

Largisq; campi fructibus accolas
Pluresq; ditant: multaq; gens tuis
Sub mænibus gaudet morari
Frugiferas comitata merces.

Hæc magna. Dicam plura. Tuis sedet
Pax grata terris: Religio comes
Vultusq; concors astat illi,
Et probitas, & honestus ardor.

Quis dicat artes, vrbibus utiles,
Templisq; gratas, & Medicos canat?
Facundiæ laus illa raras
Sic petijt, coluitq; terras.

Vrbs clara debes Rutigero Duci
Quod clara tantis perfrueris bonis.

Vivas, & AVGUSTO preceris
Et soboli benegrata vitam.

AVGVSTVS illud contulit ocium
Quod gignit alto pectore gaudium.
Annosq; natus CHRISTIANVS
In reliquos tibi largietur.

IN EFFIGIEM AVGVSTI
SAX. DVCIS, ET ELECT.

Am bene si mentem, faciem quam fingere posset
Pictor, & AVGVSTI regia facta Ducis,
E 2 Pinge-

Pingere si posset, dico, laudabile pectus,
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

ALIVD.

HÆc Ducis AVGUSTI facies. Si cernere mentis
Dona voles, orbem consule, certus eris.

AD AVGVSTVM, PRINCIPEM ELECTOREM.

Reddere non mentem pictor, nec sculptor auitam,
Reddere scit mentis dona Poëta tuæ.

EIDEM.

Ris honos, AVGVSTE, tui, vultusq; sereni,
Splendor & imperij, cur adameris, habent.
Attoniti penitus fiunt tua facta videntes,
Illaq; non nostri sanguinis esse putant.

ALIVD.

Vod benè de patria, Princeps, alijsq; mereris,
Non hominis, dicam Numinis illud op.us.

IN LEONEM EIVSDEM.

Vod timidos perfert, tumidos sed carcere frenat,
Ensifer hoc Princeps omne Leonis habet.

IN

IN RVTAM PRINCIPIS ELECT. AVGVSTI.



Ernitis hiberna Rutam sub luce virentem?
Sic Ducis AVGVSTI gloria marte viret.

ALIVD.



I viret, ac vincit grassatum Ruta venenum
Frigore, quæ victrix tempore veris erit?

DE AQVILA EIVSDEM.



N Ducis AVGVSTI clypeo cur explicat alas
Regia, quæ Solis lumina cernit, aus?
Sic ego finieram. Respondit nona sororum.
Pectore virtutum confouet illa choros.
Cur (ita quærebam.) sed aduncos porrigit vngues?
His perit hostilis factio, Musa refert.
Sic Rosa cum suauem folijs diffundat odorem
Monstrat aculeoli vim, speciosa, sui.
Dulcis aue volucris, virtutum sedula custos,
Turpia quæ punis, sed benefacta iuuas.

IN DVOS GLADIOS EIVSDEM.



Vi leuiter sumis gladium sperasq; triumphum,
Cælitus exhibitos disce timere duos.

E 3 DE EO.

DE EODEM.

Hymidulis Nymphaea virens non mergitur vndis:
Principis AVGUSTI sic mala vincit honor.

AD ILLVSTRISS. SAXONIAE

DUCEM, CHRISTIANVM, AVGUSTI, F.

Hu*llustrissime CHRISTIANE, Fili*
AVGVSTI Ducis, ecquid æmularis
Virtutes, & honesta facta Patris?
Hoc certè docet indoles, & ardor
Dignum sanguine qui decus parabit,
Donec spiritus inferatur astris.
Artes nam colis elegantiores,
Et præcepta DEI sequenda ducis
Plus cunctis opibus, magisq; suavis
Vitæ lumine, quo nihil foueres
Exoptatius acriusq; rerum,
Cum caro Patre, cum Parente dulci.
Hinc Ecclesia sumet expetitos
Et Respublica diligenda, fructus.
Patris more iuuabis eruditos
Cunctis viribus, omnibusq; formis.
Felicem ter & amplius beatum,
Dignum Patre potentiore, Natum,
Qui Patris sequitur colitq; famam.

Sic dulc

Sic dulcem Rosa fert Rosam sub hortis.
Sic magnum Leo procreat Leonem.
Nec vester leue nutrit aut paravit
Illustrissime CHRISTIANE, sanguis.

AD PRINC. ELECT. AVGVSTVM
SAXONIÆ DVCEM.

MEnim vestris intentum laudibus, aiunt:
Me minimum dico laudibus esse parem.
Ut celebrare tamen, Dux, te meritissime cunctis
Viribus, & studijs ingenioq; velim,
Nil adeò sublime loquar, vel nobile dicam,
Quintus augusto nomine vincat honor.

PROMITTIT EI DEM PRINC.
MAXIMO. ALTERAM PARTEM.

MUneribus latè populos augentis, & vrbes,
Est tua laus meritis Regia facta sequi.
Forsan & accipiens nostras tua gratia Musas
Luminibus faciet scripta beata suis.
Soluere quid possim, quæras. auctissima grates
Carmina persoluent, & tua facta canent.

Muse Honorant Benè Meritos.



Слово о полку Игореве
о походе его в Скандина-
вии и о взятии Переяслава
Киевского и сражении с
Малороссийским Чародейством.

AD PRINCIPALIA. ELEGIA. AUGUSTVM

СИЯНИЕ ПАМЯТИ ТИМОФЕЯ
МАТЛАТМАЗЕТЛЫ ОНКАМ

Слово о полку Игореве
о походе его в Скандина-
вии и о взятии Переяслава
Киевского и сражении с
Малороссийским Чародейством.

Слово о полку Игореве

18. Nov 1996

Nh 1217



TA → OL



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Yellow

Green

Cyan

Red

Magenta

White

Black

STVS.
NOREM MAGNI
STI, SAXONIAE
EPISQ; ELECTO.
imarschalli.

Carminum

SLOBIO BERL. M.

Archica Poësos Professore

n & editorum



AE AD VIADRVM,

M. D. LXXVII

13.

12